

A G R I A

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

DOMINO, DOMINO

IGNATIO e L. B. SZEPESY

D E N É G Y E S,

MAGNI TRANSILVANIAE PRINCIPATUS

E P I S C O P O

ABS SE ABSCEDENTI LACHRIMAS, ET VOTA FUNDIT.

Gratior est pulchro veniens de corpore virtus.

Virgilius.

Scivimus Ignati, bene scivimus Auree Praesul!

Deberi meritis culmina prima Tuis.

Ad summas natum Te scivimus, esse tiaras,

Quas Tibi desponsas quin peterentur, habes!

Scivimus et vulnus dudum praesensimus illud:

Agria, quod Tanto sit minuenda Viro.

Nec fuit una Tuas, quae clauderet Agria dotes,

Dacia tota quibus vix erit ampla satis.

Non ex insidiis ictu hoc Urbs nostra feritur:

Tota tamen multo strata dolore jacet.

Quo Te cunque feras, manifesti signa doloris

Sunt oculis Praesul conspicienda Tuis.

Esztoradis molem augustam, dulcem Tibi sedem (1)

Aspice: quanta Cohors stipet ad omne Latus,

Stant ibi Patricii tristes, Urbisve Quirites

Defixere solo cum gravitate Caput.

Culta, recensque secus, modo pulla scholastica pubes

Pallet, et ingenui pignora luctus habet.

Pupilli in medio geminant miserabile carmen, (2),

Seque sui credunt, funera flere Patris.

Orba viro mulier sparsis ibi dura capillis

Constitit, et madidas proluit imbre genas

Vulgus egenorum, Tua cura potissima, Praesul! (3)

Plorat, et arentes tollit ad alta manus.

Tristibus exustos flammis Urbs ista penates,

Grandine vastatas non ita luxit opes.

Hae lachrimae, Tua sunt encomia Praesul! et Urbis

Te super astra feret publicus iste dolor.

Quid mirum: lachrimis, quod Te comitemur euntem?

In Te sunt Uno perdita quanta Viro!

Tu quasi Palladium nostrae subduceris Urbi,

Cujus praesidio certa salutis erat.

In Te, Purpurei Patres, Sacer ille Senatus!

De gremio norunt sidus abire suo.

Gloria, et exemplum, paucis imitabile! Cleri

Tecum, et delictum denique Plebis abit.

Crede; Tuos populo vultus vel cernere Praesul!

Tangere, vel vestem dulce piumque fuit.

Certavere suis natura, et gratia donis,

Te quibus exornent ambitione pari.

Natus es, et si non esses ab origine Magnas,

Tu proprio Magnas Marte futurus eras.

Corporis hae specie, formaque colendus ut esses:

Hoc natura Tibi, Te sine sola dedit.

Forma viri pretio tunc est dignissima tantum:

Si sit; ut est in Te mentis imago paris.

Juncta pudicitiae raro solet, esse venustas,

In Te consociant forma, pudorque manus.

Gemmam hanc ut nitidam semper sine pulvere serves:

Ipsae Tibi custos, et vigil Argus eras.

Fingere suspicio de Te nihil ausa: sciebat,

Esse sibi clausas ad Tua facta fores.

Ipsae nihil reperit livor, quod mordeat in Te:

Tamen nitet, et firmo stat Tua fama pede.

Semper in excubiis licet; inque laboribus esses:

Fecisti cunctis, non satis Ipse Tibi.

Si quod ab officiis, pietateque tempus habebas (4)

Restans, id studiis semper, et omne datum.

Quodque est magnorum: literas virtutibus addis,

Absque quibus virtus languida semper erit.

Praemia fixisti musis. Et quanta Jeventus

Militat in castris Palladis aere Tuo!

Denique Mecaenas esses ut in omnibus alter,

Fusus es in doctos doctior Ipse viros.

Seu stas in Rostris, sive ex ambone peroras: (5)

Quae cadit e labiis gratia, visque Tuis?

Quis Tuus Ignati nisus, quae cura, quis ignis,

Curio tam vastae dum sacer Urbis eras?

Exemplis, verbisque Tuis procul Urbe fugasti,

Turpis, et ingrati quidquid odoris erat.

Tunc pietas, tunc prisca fides, morumque vetusta

Simplicitas, flores explicuere suos.

Parce mihi: Tua quae sit munificentia Praesul!

Jam retegam, quamvis supplicet illa, tegi.

Si quis forte Tuos cupiat numerare Clientes,

Stellas Is numeret, quae super Urbe micant.

Scilicet est ampla Civis vix ullus in Urbe,

Quem Tuus Ignati! non recreasset amor.

Et quod sacrasti divinis cultibus aurum:

Vix mihi danda fides, si referatur, erit. (6)

Virtutes (Tibi nulla deest) qui concinat omnes,

Me plus de doctis fontibus ille bibat.

Invidiae tua sors plena est O! Dacia felix!

Praesule nonne tumes ambitiosa Tuo?

Agria Chara Deo; Regumque favoribus aucta,

Hactenus auspiciis Urbs satis usa bonis.

Esse superba potes, quod Baro Szepesius in Te

Natus, et e gremio surgat ad alta Tuo.

Inter eos, quorum clarent natalibus Urbes

Quid prohibet, quin stet filius iste Tuus?

Luximius O Cives! sinceros edere plausus,
 Jam juvat, et Tanto dicere fausta Viro.
 Auspibus procede Diis Dulcissime Praesul!
 Septem ter faustis ad juga perge rotis!
 Quo Te jussa Dei, quo Caesaris alma voluntas,
 Mittunt, quo zelus Te jubet ire Tuus.
 Quo Tua Te virtus, et vasta peritia rerum,
 Virginei mores, vitaeque casta vocat.
 Dacia Te doni coelestis adinstar anhelat,
 Inque suo citius gestit habere sinu.
 In Te religio (e tantis!) quaecunque sit illa,
 Quod stupeat, quod amet, quod veneretur, habet.
 Tu per Alexandri vestigia Principis ibis
 Et fies spoliis dives, ut Ille, sacris.
 Jam prius, ac moveas Urbi benedicito nostrae,
 In qua aeterna Tui tot monumenta manent.

BCU Cluj / Central University Library Cluj

- 1) Privatam suam Canonica domum Honoratioribus Pensionatis incolendam gratuito cessit: Ipse, ut opulentae, et disquisitae Bibliothecae Eszterháziánae Praefectus in incomparabili Lyceo mortuus inter, et vivos eruditos Professores nempe Ecclesiasticos discendo, et docendo resedit.
- 2) Inclutae Deputationis Comitatenis in Orphanalibus Praesess.
- 3) Praeses pariter Civici pauperum Instituti, quod ut perenne; ejus autem procuracionem faciliorem, feliciorémque faceret, addidit illi beneficiatos duos servientes numeratis de suo 10,000. Florenis.
- 4) Cessit plura, et non interrupta serie. Periculus quippe Theologicis disciplinis in Seminario Agriensi moderator primum in eodem Alumnorum studiis per Excellentissimum Archi Episcopum datus; mox ab Eodem Secretis Literis suis praefectus. Hinc Civitati Agriensi pro Parocho nominatus. Chara hac statione sua eblectare se longius non potuit: nominatus enim M. E. A. Canonicus ad Latus modo Cultu Archi- Episcopi adscitus honorum est. Auctus subinde muare Archi- Diaconatus Cathedralis. Tandem insigni Beneficio Praepositurae minoris B. M. V. de Castro Agriensi condecoratus est; tot Honorificis, et operosis muneribus parfunctus non multo tempore multum vixit.
- 5) *In Rostris*, id est: Ordinarius Capitularis ad plarium conterminum II. Comitatum Tractatus publicos Deputatus, partes homagialis subditi, et Fidelis, Jurisque Periti: Patriae filii alacriter, ac cum honore expievit
- 6) In gremiali I. Comitatus Szabolcensis Oppido Nyir- Egyháza Ecclesiam a primo lapide Deo, et auctore suo dignam 200,000; in Coronalis Oppidi Miskoltz PP. Ordinis Minorum Ecclesia aram principam 14,000 flor, incipiente tantum virili aetate sua crexit.

J. T.
 Abb. et Civis Agriensis.